

ST. Q. M. I. KON. V. N. O. N.  
DISSERTATIONIS,  
GENERALI MAGISTRI DE  
REIPUBLICÆ LITERARIÆ  
P R A E S E N T I  
R E I P U B L I C A E  
L I T E R A R I A E  
F L O R E ,  
PARS PRIOR,  
QUAM,  
SUFFRAG. AMPLISS. FAC. PHILO. IN REG.  
AD AURAM ACADEMIA,  
MODERANTE

HENRICO HASSEL,

ELOQUENTIÆ PROFESS. REG. & ORD.

PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBJICIT  
STIPENDIARIUS REGIUS,

ANDREAS ABRAH. HAGELBECK,  
*w. g.*

IN AUDITORIO MAJORI DIE XX. MARTII  
ANNI MDCCCLIV.  
H. A. M. S.

ABOVE, Impressit Directo & Typog. Reg. M. Duc. Fin-  
land. JACOB MERCKELL.

KONGL. MAJ:TS  
TRO MAN,  
GENERAL MAJOR och ÖFWERSTE FÖR UPLANDS  
INFANTERIE REGEMENTE,  
SAMT  
RIDDARE och COMMENDEUR  
AF KONGL. MAJ:TS SWERDS-ORDEN.  
**HÖGWÄLBORNE HERREN,**  
**HER**  
**BARON FRIEDRICH**  
**SPARRE,**  
**NÄDIGE HERRE.**

**D**E flora egenskaper, som Herr Generalen til  
Fäderneslandets välfärd besitter, hafva län-  
ge sedan uti Svea Inbyggares hjertan up-  
rett sig den ährestod, som trotsar all förgiängelighet.  
Hoga

Höga förtjenster, och oförtruten nit vid vickriga  
värf, hafva til Rikers algemena fägnad upbrackt  
Herr Generalen, at bepryda et ibland de större  
Heders rum, från hvilket glansen af Herr Gene-  
ralens höga Person vidträckt lyser, til Svänska Hjel-  
tars estersyn. Vetenskaperne, som uti Herr Gene-  
ralen vörda sin Älkare och Skydsherre, upmana si-  
na idkare til täflan, at ådaga lägga sin vördsam-  
maste ärkänsla. Valgierningar emot de torftiga,  
utmärcka Herr Generalens Nåd emot de ringare,  
hvilka för sin del vördatamt bidraga, at af oför-  
giängeliga blemmor sammanfläta de billiga ähre-  
krantiar, som skola bepryda et så flort namn för  
sexa efterverlden. Uti samma Nåd har min fram-  
ledne Far under sin lifstid haft den lyckan at vara  
innesluten, hvaraf äfven Herr Generalen täckts låta  
en nädig stråle falla på min späda ålder, då För-  
synen genom min Faders tidiga frånfälle behagat sat-  
ta mig uti et värlöft tilstånd. Herr Generalens up-  
muntran til at idka vetenskaper, och därjämte för-  
klarade Nåd, at framdeles vilja täncka på min väl-  
färd, voro min fägnad under et så hotande öde,  
Altderföre, och i förtröstan uppå samma Nåd, un-  
derstår jag mig, at i diupaste ödmiukhet för Herr  
Generalens fötter nedlägga denna min första lärospän,  
et ringa Academiskt arbete, om vetenskaperne til-  
växt och flor i närvarande tider. Uptag detta, Nå-  
dige Herre, med så hög ynnest och Nåd, som jag  
det i vördnad och välväning upoffrar. Almackten  
tildele Herr Generalen et rikt mått af all välsignel-  
se,

se, samt giöre Herr Generalens dagar många, och  
uti all hög fällhet och önsklig välgång fornögde.  
Med diuptesta vörndad framhärdar  
**Högwälborne Herr Barons, General Majorens**  
**Riddarens och Commendeurens**

VIR amplissime atque Celeberrime,  
**DN. H E N R I C E**  
**H A S S E L,**

In Illustri Athenæo Aboensi Eloqu. PROFESSOR Reg. &  
Ord. Consistorique ejusdem ADSESSOR gravissime,  
**NUTRITIE PROPENSISSIME**

**A**Etus est, si Tuorum in me beneficiorum multitudinem conser-  
dero, ab eo tempore repetens, quo me in Domum Tuam No-  
bilissimam exceptum gratulor, si dies numero, nondum bies-  
nium. Tui nimirum, Nutritie Propensissime, sub hoc tem-  
poris intervallo, necessitatis mee benigne succurristi, Tui mibi  
consilii saluberrimis constanter adfuisti, meque exquisissima  
Tue eruditionis nectare sapissime satiasisti, Tui mibi Pater, Pater-  
nam mei curam gessisti optimam, benignissimam. TE igitur, Nu-  
tricie Propensissime, qua filium decet reverentia prose-  
quor, TE veneror, Tuorumque beneficiorum memoria pe-  
nes me manebit sempiterna, exata, pia. Sinas humiliare ro-  
go, hancce pagellas, quas Tibi submissae offero, reverentia debite  
signum esse qualecunque. Ut enim nec beneficiorum Tuorum am-  
plitudinem, nec meam in TE pietatem explicare queat ullus e-  
loquentiae apparatus, si precor quilibet hujus opelle lineola-  
devotissimi & gratissimi pectoris interpres. Tu vero Palladis De-  
cus, vivas Reipublice Literarie, & Academia nostre vivas.  
Familie Tue Nobilissime vigeas delicum suavissimum, ma-  
bique perbenignus, inter omnigena felicitatis fructus, quos  
Tibi adprecor uberrimos, floreas quam diutissime

## NOMINIS TUI CELEBERRIMI

*Humilissimus Cultor.*  
ANDREAS A. HAGELBECK.


Plurimum Reverento atque Clarissimo VIRO.

Dn. JOHANNI TIMBERG,  
Pastori Ecclesiae Skarstadiensis Meritissimo,  
PATRI INDULGENTISSIMO.

Quotidie dum pie, uti decet, recordor Tuae, Pater Optime, erga me caritatis magnitudinem, nullius profecto rei suavior occurrit memoria. In tenera mox etatula, ut gravissimos mihi dolores penerit prematura b. Parentis mors, ita animum tanto vulnere afflictum recreavit intensissimus ille amor, quem mihi adeo semper exhibuisti, inde ab illo tempore, quo Te Parre frui mihi cogit Optimo, Indulgentissimo, ut Parente orbatus, nihil prater nomen amississe mihi videar. Nam quoad longissime pessum, in ultimam pueritia memoriam respicere, omnem in salutem meam impendisti operam, studium omne, ut si curam a Genitore polliceri mihi potuerim parem, certe non majorem. In primis veneror, quod prima eruditio principis, vel ipse, plurimis licet curis distractus, sollicite suppeditasti, vel ab aliis curasi instillanda. Quamdiu prasens mihi fuisti, ore svariis, vultu bilaris atque benignus, vita moribusque exemplar, quovis die, & prope dixerim momento, optimis virtutis ac diligentia dediti incitamente; jam vero absens, iussiis, admonitionibus, consiis, imo sumtibus mihi subvenisti, adeo ut per sexennium, quod apud Camenias has Auroraes transagi nibil mihi deesse volueru, Tibi licet defuerint multa. Hec omnia pia mente considerans, presentem occasionem latu arripi, quae gratissimum in Te animum qualitercumque significarem. Recipias igitur, Pater indulgentissime, consuetu Tibi benignitate, & affectu, ut soles, paterno, levissimas hasce pagellau, quas in tesserae perpetua pietatis, qua filio par est reverentia, Tibi consecratum eo. Vivis, Pater Optime, omni felicitate flore cumulatus ad ultimos usque vite humane terminos, ut quam diutissime habeam in Te fulcrum & solatium certissimum exoptatissimum!

PATRIS INDULGENTISSIMI

Obedientissimus filius,  
ANDREAS A. HAGELBECK.



§. I.



Uum Tuo L. B. favore freti, de praesenti reipublicæ literariæ flore agere constituimus, priusquam ad institutū accedimus, quædā de tatis rei literariæ strictim præmittere visum est, ut status hodiernus cum præterito collatus eo clarius elucescat. De eruditione antediluviana, deficientibus, quæ in dolem ejus illustrare possent monumentis, nihil habemus dicere. Eandem ob causam nec definiendum suscipimus, quo primum tempore post diluvium cæperit artium ingenuarum gnavor cultura; prout nec nostram facimus controversiam, Chaldais ne an Ægyptiis princeps tantæ rei gloria debeatur: id autem asserimus, inde ab antiquissimis temporibus, in oriente, & quidem apud Chaldaeos, Peris, Indos, Phœnices, quibus addimus Ægyptios, varias excultas fuisse scientias. Patet hoc ex cultu vitæ, hos apud populos eximio, & plurimum, quæ eidem promovendo inserviunt artium excellentia, quæ quomodo sine cultu scientiarum existere potuerint, ne percipi quidem potest. Hoc insu-

A

per

per confirmat Græcorum orientalibus licet infensissimo-  
rum confessio. Scientiæ, quibus operam dabant, erant  
præsertim Geometria, Arithmeticæ, Chemia, Physica,  
Astronomia & Medicina, imo Metaphysica. Hisce acce-  
dit Historia, Doctrina moralis & Politica, sine quarum  
disciplinarum fulcris tanta imperia tamdiu consistere  
& florere non potuissent. Quid in singulis hisce arti-  
bus præstiterint, explicare arduum est, imo impossibi-  
le. Nulla enim hic suppetunt monumenta literarum,  
ab ipsis Orientalibus consignata; quæ autem de illis re-  
ferunt Græci, pauca sunt, & suspectæ plerumque fidei.  
Nec dubium, quin Græci ad ostentationem facti, quæ  
ab orientalibus acceperant, multa celarint, ut sua es-  
set inventionis gloria. De cætero, scientiæ erant cum  
religione & statu politico commixtæ, adeoque inter  
arcana habebantur, quæ est ratio, cur modo ænigma-  
tico propositæ fuerint, & per symbola hierogly-  
phica, quod apud Ægyptios præsertim obtinuit. Quæ  
sic erant involuta, non intelligebant alii, quam quorum  
erat scientias ex professo tractare, & eo facilius erat  
hæc oculere secreta, ubi patres ipsi filios instituebant.  
Conditio eruditorum nullibi lauтор fuit & magnificen-  
tior. Quæ ad vitam commode & jucunde agendam per-  
tinent, hæc illis affatim suppetebant. Regibus ipsis  
honore erant proximi, & in gravissimis negotiis pu-  
blicis consulebantur; proinde scientiarum influxum in vi-  
tam humanam & civilem optime perspicere potuerunt.  
Hæc quamvis ita fuerint, quod in multis a vero deflexe-  
rint, & falsissimas foverint opiniones, ipsa veritas fateri  
cogit. Vanitas astrologiæ Chaldaicæ & olim fuit, & ad-  
huc

100

118  
huc est famosa. Duo principia, unum bonum, malum  
alterum statuebant Persæ. Præterea, Orientalium Meta-  
physica innumeris scatebat erroribus, qui in Ecclesiam  
postmodum transfusi, horrendas progenuerunt hæreses.  
Hæc erat facies eruditio Orientalium, usque dum ar-  
ma Alexandri victricia ut in statum civilem, ita quoque  
literarum Asiae atque Ægypti maximam inferrent  
mutationem. Successores namque illius, & linguam &  
scientias in suis quisque regnis propagare nitebantur.  
Hinc tamen non extinguebatur vetus eruditio Orien-  
talis, sed serviebat quodammodo, & cum Græcanica  
quandoque misciebatur.

## §. II.

**O**rientales excipiunt Græci, apud quos artes ingenia-  
& scientiæ omnes commodum satis ac jucundum  
habebant domicilium, præsertim Athenis, quæ doctri-  
narum omnium inventrices, & totius orbis gymnasium  
audiunt Ciceroni. Quum ab Oriente accesserint Græ-  
ci, quod præter sacram profana quoque docet historia,  
dubitare non licet, quin primi advenæ aliqua secum  
attulerint scientiarum rudimenta, quibus deinde fre-  
quens cum Orientalibus commercium addidit augmen-  
tum. Orientali autem scientiæ in Græciam transve-  
hendæ plurimum contulerunt Græcorum apud Orien-  
tales peregrinationes, hanc solum ob causam institutæ.  
Homines namque discendi avidissimi, viros eruditio-  
næ fama celebres, ubicunque inveniri poterant, adive-  
runt, nec ullis se obstaculis impediti passi sunt, quo  
minus in eorum penetrarent arcana. In eis vero, quæ  
a peregrinis mutuati sunt, non adquieverunt, sed mul-  
ta

A2

ta excogitarunt ipsi, & aliena cum propriis ita miscuerunt, ut novam acciperent formam. Veterissimum doctrinæ genus erat Poësis, qua Philosophiam tradebant, prout inter omnia, qua exstant monumenta gentilium, Homeri & Hesiodi opera sunt antiquissima. Tanti autem vena Græcanica visa est posteritati omni, ut qui eam proxime æquarent, fastigio artis proximi fuerint judicati. Artem poëticam primus consignavit Aristoteles, cui insigne adhuc manet pretium. Ut antiquitate Poësis, ita præriorum amplitudine ac dignitate, primum sibi locum vindicavit Eloquentia civilis, apud Athenienses imprimis, ubi qui facultate dicendi valabant maxime, honoribus ac potentia cæteris præstabant, quare non potuit non copiosa provenire Oratorum seges, inter quos eminet Demosthenes, singulare eloquentiae exemplar. Nec defuerunt, qui artem dicendi præceptis comprehenderant, sed quorum non pauci, proverba & genuina, falsam ac spuriam docebant Eloquentiam, cuius hoc præcipuum erat artificium, ut de quacunque re in utramque partem disserere, & aperte falsa veri specie induere possent. Non ambigimus, quin meliora protulerit Mocrates, communis ille Græciæ præceptor, cuius ex schola, dicente Cicerone, tanquam ex equo Trojano præstantissimi prodierunt Oratores. Inter illa, quæ ad nostram ætatem devenerunt scripta rhetorica, antiquitate primum est Aristotelis, quod omnes quidem artis hujus partes non complectitur, quæ ramen tractavit, ita exhaustus atque absolvit, ut quæ illis addi deberent, superfluerint parca. Cum libertate reipublicæ cecidit Eloquentia civilis, ut quæ prius fuerat

fuerat res maxime seria, in lusum deinde scholasticum abierit, & ubi nulla amplius erant comitia, quomodo in comitiis esset perorandum, multis tradebatur. **A** Phœnicibus Arithmeticæ, ab Ægyptiis Geometria, Chaldaeis Astronomia ad Græcos fuerunt delatae. Quas ab exteris Græci acceperunt scientias mathematicas, has diligenter excolebant, in primis Geometriam, ut quæ ad nostram pervenerunt ætatem, Euclidis, Apollonii & Archimedis opera comprobant, quibus insigne adhuc est pretium. Neque Astronomiam negligebant, ceu quæ adhuc superfunt scripta Ptolomæi ostendunt. Operam quoque dabant Geographiæ, sed quæ navigatione non satis exulta, & orbe quæ maximam partem adhuc ignoto, admodum erat imperfecta. Qui physicæ apud Græcos sese applicuit, primus fuisse perhibetur Thales Milesius, quem alii deinde excipiebant multi, quorum præcipuum erat negotium, inquirere de origine mundi, quem suo quilibet ingenio fabricabat, unde tot prodierunt cosmogoniæ, expressa stultitiae monumenta. Experientiam, quæ in scrutinio naturæ omne ferre debet punctum, missam faciebant, quo factum, ut mera figura & fabulas procuderint, quibus ut suum esset complementum, speculationes ontologicas addidit Aristoteles. Mirum, quod in tali rerum statu experientiæ Medicinam superstruere potuerit Hippocrates, cuius doctrina in plerisque firma hic usque constitit, & post hac consistet. Quod philosophiam Græcorum attinet, genius sophisticus plurimis eorum adeo erat familiaris, ut de rebus quibuslibet prolixos ferentes sermones,

nes, quam duce experientia, veritatem indagare malent, quare strenuam Dialeticæ navabant operam, prout tota illorum Logica ad disputationes potius, quam veritatis investigationem fuit comparata. Accessit vanitas ostentationis, genti huic domestica atque nativa, ex qua radice, copiosa illa opinionum sectarumque seges excrevit. De Deo absurdissimas non pauci fovebant sententias, quarum nocentissima est eorum, qui Divinitatem cum mundo confundebant; ex quo fonte duo errores contrarii, atheismus & superstitionis pariter proveniebant. Nec pauciora de nobiliore hominis parte monstra opinionum existiterunt, quam ut cætera præterea quidam Divinitatis particulam fingebant. Doctrinam moralem parcus tractarunt Græci ante Socratem; hic autem totum se ei confecravit, quare philosophiam de cœlo devocasse dicitur Ciceroni. Socratem quidem auctorem deinde se etæ citabant omnes, sed quum nihil ipse scripsisset, de variis argumentis disputare tantum solitus, quæ a mente ejus erant alienissima pro Socraticis haud raro venditabant. Id certe constat, quod Socrates de Deo & providentia optime sensit, prout animæ quoque immortalitatem asseruit. Hanc autem quum negaret Epicurus contra sensum Socratis, sic doctrinæ morum feralem incussit ictum. Fatum quoque Stoicum, quod libertatem humanam destruit, utique a mente Socratis abhorrebat, ut taceam, quod ipsum systema philosophiæ Stoicæ penitus introspectum, in Atheismum desinere deprehenditur. Qui Socratem audiuit Plato, ea tradidit, quæ ducunt ad fanaticismum,

quem

405.11

118  
quem etiam sequori tempore in ecclesia sæpe progressa. Doctrina moralis Aristotelis, subtilitatibus ontologicis referta, in philosophiam Scholasticam transiit. Præcipua inter Græcos erat contentio de fine bonorum, quem suo quisque ingenio convenientem ponebat, & quidem talem nonnulli, qui nihil habuit cum honestate commune. Ut veritatem omnem, ita moralē quoque sustulerunt sceptici, qui an serio semper egerint, jure dubitare licet. Hæc autem sic accipienda non sunt, ac si Græcorum doctrinam moralē omnem rejiciamus. Absit. Quin potius concedimus, quod, ut in reliqua eorum philosophia non pauca præclara, ita doctrina morum varia continuit laude sua haud defraudanda; prout hoc illis competit meritum, quod disciplinas philosophicas primi in ordinem systematicum redegerint. Quæ ad Politicam spectant, multa erant comprehensa antiquis Græcorum legibus, inter quas præstant Solonis atque Lycurgi. Doctrinam civilem libris de republica atque de legibus explicuit Plato; sed qui talem formavit civitatem, quæ luxurianti ejus ingenio, quam præsenti rerum humanarum conditioni est convenientior. Præferendus omnino est Aristoteles, cujus libri politici suum adhuc retinent pretium. Nec pauca, quæ ad hoc argumentum pertinent egregia, apud Oratores occurunt. Optimi prudentiæ civilis magistri sunt historici pragmatici, quos Græcia tulit præstantissimos, quales erant Thucydides, Xenophon, Polybius, Plutarchus & alii. Cum ipso imperio se longe lateque propagarunt artes Græcanicæ, in primis Alexandriæ diu-

diuturnam habuerunt sedem. Neque cum a Romanis victa, & in provinciæ formam redacta esset Hellas, illam deserebant Musæ, sed ita remanebant, ut ipsos victores amore sui incensos allicerent. Atque credibile est, servientibus Græcis hoc propositum fuisse, ut quum gloriam armis parram perdidissent, atrium ingenuarum cultu apud ipsos victores aliquid saltem sibi pignerarentur æstimationis.

## §. III.

**A**rriæ. Circa tempora Numæ Pompilii, vel ut alii statuunt, paulo post Pythagoras in Italia docuit; cuius ibi philosophia aliquamdiu permanxit, inde Italica dæta; de qua quin aliquid inaudiverint Romani, nullum est dubium; quod autem Romæ aliquos inventerit cultores, nulla constat monumentorum fide. Quant fecerint Romani prudentiam legislatoriam Græcorum, satis ostenderunt, cum jus civile condituri, mitterent in Græciam legatos, qui antiquas Græcorum leges describerent, descriptasque secum referrent, quod ita successit negotium, ut ex his qua maximam partem conflatæ fuerint XII. tabulæ, prima juris Romani elementa. Reliquam eruditionem Græcanicam negligebant, usque dum bellis punicis magis innotescerent Græci, & ex illis viri eruditæ in familiaritatem reciperentur. Post subjugatam Græciam, tanti æstimarunt Romani artes Græcanicas, ut vel Athenas profecti, eas discerent, vel Græcos doctrina celebres ad se vocarent, eorumque proficerent institutione. Sic factum est, quod canit Horatius:

Græcia

Græcia capta ferum victorem cepit, & artes intulit agresti Latio.

Prima ad Romanos transit Poësis, quæ initio rudis erat, ceu indicant Actii & Ennii, quæ supersunt, fragmenta; postmodum vero imitatione Græcorum hanc artem eo provixerunt, ut si non superaverint, faltem æquarint magistros; quod seculo præsertim Augusti contigit, quo floruerunt Virgilius, Horatius & Ovidius, Latinorum Poëtarum principes. Ut, dum libera erat regiminis forma apud Romanos, maxima præmia Eloquentiam manebant, ita præstantissima quælibet ingenia eidem se applicuerunt. Quin ante receptas disciplinas Græcanicas neque Svalæ Romanæ sui defuerunt cultores, qui tamen ingenio potius & exercitatione, quam certa quadam arte valebant. Post vero admissas exterias scientias, ad præcepta & imitationem Græcorum conformata etiam fuit Eloquentia; quo in studio tantum profecit Cicero, ut non cives modo suos vicerit, sed Græcis, & quidem ipsi Demostheni dubiam reddiderit palmam. Proximam post Eloquentiam locum obtinuit Jurisprudentia. Cum imperio enim sensim augebatur legum multitudo, quæ æque ac illud in vastam tandem excrevit molem; quarum proinde operosa interpretatione multorum fatigavit industriam, multisque honore peperit & lucrum. Scientiis Mathematicis plenisque parior apud Romanos erat tractatio; in Architectura tamen Civili id præstiterunt, quod nostra quoque miratur ætas, prout Vitruvio singularis adhuc manet honos. Qui tot populos, tanto scientiarum subedio munitos, subegerunt, quod Architecturæ Militaris

B

litaris non fuerint imperiti, res ipsa loquitur. Naturalem Scientiam parum curarunt, instar Speciminis tamen esse poslunt, quæ Seneca tradidit in quæstionibus naturalibus. Historiæ Naturalis insigne monumen-  
tum edidit Plinius. Maximi siebat Agricultura, prout qui superstites adhuc manent rei rusticæ Scriptores sua non sunt laude fraudandi. Metaphysica ut cæteræ, quæ ad Philosophiam Theoreticam pertinent disciplinæ, ne-  
gotiosis illis Romanis le minus commendarunt. Magis arridebat Doctrina Moralis, in qua viri graves Stoico-  
rum, vitæ voluptuosæ dediti Epicureorum placita ad-  
optabant. De Romanis autem constat, quod nulla apud eos secta philosophica exorta fuit, sed alii Py-  
thagoram, alii Platonem, alii Aristotelem, alii Zeno-  
nem, Epicurum denique alii in philosophando duces sequebantur. Quæ igitur de Græcis diximus, de Ro-  
manis quoque dicta sunt, nisi quod non hi æque ac illi, vanitati sophisticæ obnoxii essent. Si usquam, certe apud Romanos viri extiterunt prudentia politica instrutissimi, quam tamen actione magis rerum, quam ex librorum lectione comparabant; quamvis neque ibi detuerint, qui monumenta sapientum pervolverent, suosque in usus converterent. Quod si libri Ciceronis de Republica ad nos devenissent, in iis utique optimus Doctrinæ Civilis thesaurus suppeteret. Ut rerum æterna memoria dignissimarum abundantissima fuit ci-  
vitas Romana, ita neque præstantissimis carebat Histo-  
ricis, inter quos eminet Salustius, Livius & Cornelius Tacitus. De cætero extra controversiam est, quod nun-  
quam res literaria apud Romanos ita floruit, atque apud

apud Græcos, cujus rei variæ dari possunt rationes. Simul ac togam virilem acceperant cives Romani, quod anno ætatis XVII. fiebat, militare cæperunt, reliquis institutis prævalente re militari, per quam eundum erat ad honores etiam civiles. Sic ætas Musis convenientissima Marti consecrabatur. Deinde amplitudo imperii, & negotiorum toga lagoque obeundorum multitudo viros maturioris ingenii ita occuparunt, ut artibus literariis parum temporis superesset, nisi quod excellentissimis quibusdam ingenii recreationis loco erat studium literarum. Neque bella tantum externa Musis obstrepebant, sed quæ sæpius intercurrebant civilia, longe deteriorem illis inferebant pestem. Quæ ab his malis vacua erant tempora, post introductam regiminis formam monarchicam, identidem interveniens tyrannorum crudelitas fædavit. Ingruit tandem periodus literis non minus quam ipsi imperio fatalis, qua, tranquillitate publica per iteratas exterorum invasiones sublata, in eum devenerunt statum Romani, ut magis de vita conservanda, quam scientiis colendis cogerentur esse solicii. Varias hoc tem-  
pore bibliothecas flammis urbium involutas periisse, & sic multa antiquitatis monumenta posteritati subla-  
ta esse, passim queruntur Scriptores.

## §. IV.

Post occasum imperii Romani, artium ingenuarum ignorantia, sive barbaries magis magisque inva-  
lescebat. Calamitosus hic status non ex bellis tantum est repetendus, quamvis & hæc tum fere continua non  
parum

parum ad illum contulerint, sed aliae omnino, & quidem potiores ejus causae inveniuntur. Inde a primo, quo per orbem se diffundere cœpit religio Christiana, tempore, literatos ac philosophos gentiles accerrimos offendit adversarios, qui eruditione sua ad illam impugnandam abutebantur; unde factum, ut omnis eorum doctrina profana & secularis haberetur. Atque post Imperatores ipsos ad sacra Christiana conversos, qui extra Ecclesiam erant, licet his eam armis invadere non auderent, quum eundem retinere animum deprehenderentur, eadem quoque de disciplinis ac libris eorum Christianis Doctoribus mansit sententia. Quamobrem, quomagis augebatur S. monarchiæ potestas, eo durius experiebantur fatum artes profanitatis damnatae. Zeli hujus improvidi singulare dedit documentum Papa Gregorius primus, Magnus dictus, quum studium Matheoseos proscripteret, & optima antiquitatis monumenta fatali rogo imponeret. Perivasum namque fuit, homines Deo dicatos & posse & debere carere scientiis, quæ veræ pietati haud exiguum objicere impedimentum putabant. „Neque in Episcopis & sacerdotibus requirebatur peritia S. Scripturarum, multo minus linguarum, disciplinarum & antiquitatis notitia, sed modo ut legere, ut cantare, ut Orationem dominicam, Symbolum, Psalterium, Completum recitare valerent, nec necii essent Canonum, quæ sunt verba Spanhemii in Comp. Hist. Eccles. p. 229. Atque ut in tuto collocaretur eorum ignorantia, Jure Canonico sanctum erat, ne quis Episcoporum ac presbyterorum barbarismos irrideret ac sollicitos,

118  
eismos, quum indignum esset, sanctos illos viros restringi sub regulas Donati. „A monachis vero non aliud exigebatur, quam ut cantare, & certas precum formulas recitare valerent. Scientiarum culturam, ut adhuc nonnulli, ita cum plurimi, statui eorum inconvenientem judicabant. In templis cathedralibus atque cœnobiis erant quidem scholæ, quibus septem illæ artes liberales tradiebantur, sed quid ibi proficeretur, quum qui docerent, ipsi rudes essent atque indocti? Sic non potuit non crassa ingruere barbaries. Nec leve addidit momentum emortua lingvæ Græcæ intelligentia, ut in proverbium abiret: Græca sunt, nec legi possunt, nec intelligi. Quin etiam Latina, illa sacri cultus ministra, sensim ita corrumpebatur, ut nihil omnino nativæ puritatis retineret, adeoque Latium in Latio esset peregrinum. Reformationem quandam literarum suo tempore moliebatur Carolus Magnus, dum viros eruditos conquisivit, scholas instauravit, varijsque legibus statum rei literariae formare voluit. Verum inveteratum adeo malum longiori indigebat medicina, quam ut unius ætas atque industria eidem sanando sufficeret. Nec erant deinceps, qui debito nisu collapsæ rei literariae succurrere studerent, sed partim bella, partim quæ altiores indies radices egit supersticio, effecerunt, ut omnia ad pristinam relaberentur miseriam. Testantur hoc, quæ proxime insequebantur secula, nonum puta atque decimum, quibus adeo invaluit superstitionum illud otium, ut eadem infelicia, & idoneis scriptoribus destituta adpellare non dubitet Bellarminus. Nec Mi- rum.

rum. Erat tanta seculi potissimum decimi cæcitas, ut studia, tanquam professionem inhonestam inter quis- quilias & purgamenta rejicerent pinguia ingenia, & qui his diligentius, quam mos tulit, infudaret, hæreti- cis adnumeraretur. Si quis in lucem aliquid profer- ret solidi, cuius magnitudinem non capiebat mona- corum stupiditas, magus ipsis videbatur. Sequen- tibus deinde seculis per Europam se magis propaga- runt studia literarum, & in primis Scholaſtici magnum dederunt strepitum. Multum vero absuit, quominus literis ac scientiis hi genuinum restituerent decus, qui divina humanis milcentes, barbaris iordibus, & inſi- nitis subtilitatibus & subdivisionum subdivisionibus do- strinam suam conspurcarunt; adeo ut, quæ a splen- dore suo dudum defecerat eruditio, miserum sub eo- rum lima nanciceretur nitorem. Varia, quæ tum erecta erant Musarum domicilia, vinculis suis conſtri- eta tenere noverant Pontifices, variisque artibus effi- cere, ne barbariem, firum illud status hierarchici fulcrum excuterent, prout tota eorum compages, ex ratione status papistici digesta fuit ac ordinata. Sic quod inter Boëthium, quoad eruditionem ultimum Ro- manorum, atque Franciscum Petracham, interjectum est mille circiter annorum intervallum, barbariem complectitur, in qua tamen pro diversitate temporum, gradus diversi reperiuntur.

## §. V.

**Q**uamquam dulcedo otii superstitionis animos cepe- rat docentium atque discentium, contemtus bo- narum artium inoleverat, imo dirum in literas & lite- ratos

ratos haud raro exarserat odium, hæc tamen omnia id efficere non potuerunt, ut sub ipsa barbarie omnis emoreretur eruditio. Quin potius constat, extitisse fidera, quæ ipsis barbariei tenebras intermicuerunt. Nec dubium, quin plures adhuc fuerint vera & soli- da scientia instructi, dum seculorum infelicitas impe- divit, quo minus scriptis in publicum prodirent. Ne- que concipi potest, aliquos in studiis tantum profi- cere potuisse, nisi essent alii, quorum institutione u- terentur. Per hos propagata fuit eruditio, quæ tan- quam ex cryptis & latebris tandem prorupit, dum victis obstaculis, aliquanto liberior Musis concedeba- tur aura. Vanus tamen fuisset omnis ex barbarie e- luctandi conatus, nisi impotens Papæ dominium, quo non alia tenacior erat veræ eruditionis remora, aliquantum imminutum fuisset. Id vero exortis in regno papistico diffidiis factum est, & quidem eo præ- fertim tempore, quo duo aut quandoque tres erant, qui summam sibi in sacris potestatem assererent. Nec parum ad hoc valebant Constantiense & Basileense Concilia, monarchiæ papali minime amica. De cæte- ro adeo manifesti rum fieri cæperunt mores Ponti- ficum, ut qui aliquid videbant, inteligerent omnes, neque Ecclesiam neque iempublicam stare posse, ni- si enormis eorum licentia suos intra limites coer- retur; quod cum facile animadverterent Reges hi fa- crorum, non animum quidem, sed modum agendi mu- tarunt, dum idem quod antea, minus tamen acerbe exercuerunt imperium. Proinde, quæ decimo tertio & decimo quarto seculis plures conditæ fuerunt Aca- demiæ,